



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Philippi Servii Amicus Fidelis Usque Ad Mortem

Bouchy, Philippe

Coloniæ Agrippinæ, 1660

De Forma Baptismi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54799](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54799)

Sacramentum quasi juri suo cedere, nec ægrè ferre se exponi periculo irritationis, ubi de salute proximi spirituali & de majore securitate agitur; Et, quod ubi charitas cum religione concurrit religio haud difficulter charitati cedit: quamquam Baptismatis irritationi cavebitur, si sub conditione, videlicet si materia hæc idonea sit, conferatur, quod omninò faciendum censer Joannes Præpositus, sublatoq; periculo, quaesitaq; diligenter & inventa aqua nõ dubia, Baptismum sub conditione si baptizatus sit superstes, iterandum.

#### DE FORMA BAPTISMI.

**F**orma Sacramenti Baptismi sunt hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Diligentes esse convenit Pastores, ut intelligant an Obstetrices noverint debitam formam Baptismi proferre, & materiam applicare.

Expedit ut formam linguâ vernaculâ potiùs proferant quàm Latinâ: Latinam enim cum non intelligant, pronum

prorum magis est ut in ea efferenda errores aliquos admittant. Videndū ne quid addant vel detrahant formæ, Sunt quæ, ex stulta devotione, addunt formæ, Nomen B. Virginis, vel Sanctorum aliquorum, vel omnium, discentes: *le te baptize au nom du Pere, & du Fils, & du S. Esprit, & de la glorieuse Vierge Marie, ou bien: Et du Bien-heureux S. Francois, ou bien: Et de tous les Saints & Bien-heureux.*

Periculosa plenum opus alex! Est non nemo qui audeat asserere ejusmodi additionibus Baptismi formam totam vitari.

Sed credibile est, ejusmodi additiones non idè fieri ut infans baptizetur in nomine aut virtute B. Virginis, sicut baptizatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sed ut Baptizato B. Virginis aut Sanctorum patrocinium & intercessio proficit ad gratiam baptismalem conservandam. Sic autem acceptæ conditione

*a Jacobus de Graffis in suis dec. aur p. 2. l. 1 c. 3. n. 24. Rubens de Sac. in 4. Sent. dist. 2.*

tiones illæ, nihil habent quod formæ perfectioni obsistat. Adde, verba in quibus tota formæ perfectio consistit (nempe, *Ego te baptizo in nomina Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, prius tempore operari effectū suū quam particulæ illæ (*& B. Virginis, & Sanctorum omnium*) addantur, & ideò neque ab eis tolli posse, qualemcumque tandem errorem significant.

### SUBJECTUM BAPTISMI.

**S**ubjectum Baptismi est quilibet homo natus, existens in hoc mortalitatis corpore sive sit infans, sive adultus, sive sit vir, sive fœmina *a*

Dicitur *homo natus*, quia non potest baptizari infans in utero matris existens, qui necdum prodiit in lucem: *b* si tamen prodiit aliqua ex parte, baptismus in necessitate administrandus est in qualibet corporis parte, etiam in solo digito, si nequeat

*a Bonacina tom. I. fol 57. b Idem tom. I. fol 49.*